

Pro magisterio & opere nati considera.

- Decimam domum.
- Dominum eius.
- Domum magisterij.
- Venerem.
- Mercurium.
- Martem.
- Almuten significatorum operis & magisterij.
- Partem operis & magisterij.
- Primum dominum triplicitatis decimæ domus.

**S**IGNIFICATOR magisterij is est, qui in ascendente, uel Medio cœli orientalis à Sole inuentus fuerit, & occidentalis à Luna. Item is cui Luna applicat post coniunctionem, uel oppositionem præcedentem natiuitatem, de die, & in nocturna genitura dominus partis fortunæ. Item is planeta cui Luna applicat in natiuitate. Planetæ uero qui pro sua natura significant magisterium, sunt Mars, Venus, Mercurius, si horum trium unum inueneris in ascendente, uel Medio cœli, orientalem & habentem præcipuas dignitates, & applicantem bono aspectui Solis uel Lunæ, uel ipsos ei applicantes, significatur ingens & maximum magisterium, & quod in operibus suis primus & præcipuus omnium erit secundum naturam planetæ significatoris operum. Si uero nullus horum trium in ascendente, aut Medio cœli est: sed in quarta uel septima domo, non erit tam excellens & eximius in magisterijs. Si uero nullum horum in aliquo angulo inueneris, inspicere significatorem operum nati, hoc est dominum Medij cœli de die, de nocte autem planetam cui Luna applicat, præcipue si is planeta dominium habet, & fortitudinem in loco partis fortunæ. Si uero Luna est uacua cursu, & nulli planetæ applicat, tunc eum planetam sume pro significatore operum, à quo Luna defluxit, & dominum eius domus, uel dominum partis fortunæ, uel dominum domus, aut termini illius in quo is planeta est, & quem ex his in optimo loco, & plurimis testimonijs inueneris, is est significator operum. Et si is planeta est in bono loco, & Mercurius eum beneuole aspicit, significat bonum statum & incrementum magisterij. Si uero hunc significatorem aspicit Saturnus amice, significat uitam eius & magisterium fore in oratione & agricultura. Si eum aspicit Iupiter, futurus est scriba & peritus legum, & reges & diuites ei fauebunt. Si Mars eum beneuole aspicit, erit medicus uel uates, uel necromanticus, astutus, & promptus in suis operibus. Si Sol eum aspicit, aut ei applicat in eodem signo sine combustione tamen, significat gloriosum & excellens magisterium, & magnam subtilitatem, & erit scriba Regis. Si Venus eum aspicit, natus se adiunget uxoribus regum & potentum, & ab eis diligetur, pecuniam ac honorem inde acquirere. Si Luna aspicit significatorem magisterij, significat nato tales artes, è quibus pecuniam & emolumentum consequetur. Si uero in fortuna aliqua significatorem magisterij ex quadrato uel oppolito aspicit, uel corporaliter damnat, significatur difficultas, labor & damnum in magisterio.

Almuten significatorum operis & magisterij sumitur à	}	Cuspide decimæ domus	}	Almuten florum
		Domino eius		locorum est significator magisterij.
		Sole		
		Parte operis		
		Domino eius		
		Primo domino triplicitatis decimæ domus		

Si